

I M A G O
M E L A N C H O L I A E.

SPECIMEN INAUGURALE,

QUOD

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE MEDICA

PRO OBTINENDO

MEDICINAE DOCTORIS GRADU

REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE
HUNGARICA



ANTONIUS HALICZKY.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio R. Sc. Uni-
versitatis maiori, die Augusti 1833.

B U D A E,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

Der echten Wissenschaft ist kein Gegenstand zu gering, am wenigsten der Mensch. Der Mensch, seiner Einrichtung, und Bestimmung nach, nicht minder aber in seiner ihm ganz eigenthümlichen Ausartung, ist, und bleibt der bedeutendste, ja, der nächste Gegenstand menschlicher Forschung. — Wenn schon die Gegenstände der Natur: die Thiere, die Pflanzen, ja die Steine den Beobachtungsgeist fesseln, und den Ordnungsgeist beschäftigen, wie viel mehr muß der Mensch selbst, auch in den Trümmern seines geistigen Daseyns, den Beobachter, und Forscher an sich ziehen.“

HEINROTH'S Anweisung für angehende Irrenärzte Leipzig 1525
Zeit. 68.

Prooemium.

Legi academicae obsequuturus, imaginem melancholiae secundum pleraque tam veterum, quam recentiorum, quae suppetebant, exemplaria describere constitui. — Ut clarior esset doctrina, magisque animata sequeretur oratio, summi viri *Heinrothii*, Professoris Lipsiensis, partitionem systematicam amplexus sum. Obmoverit forte quis nimis argutam esse, omniaque ibi ad vivum, ut ita dicam, resecta?! Equidem non magnopere repugnem; attamen candide fatcor, me malle cum *Heinrothio*, vel nimis dividere, quam cum aliis commiscere, et confundere, quae natura partita, et secreta esse voluit. In veteribus fastis, operibusque aegritudines animi, et mentis natura et signis discrepantes communi melancholiae nomine pertractatas video. Ex multis unum *Alexandrum Trallianum*, magnum in arte nostra virum, adduxisse suffecerit, sic scribentem: „Neque omnes (in melancholia) eadem symptomata sustinent, neque similiter eisdem imaginationibus agitantur, sed alii ipsorum rident semper et cum hilaritate insaniunt: alii cum ira, et contem-

tionem, iis qui phrenetici appellantur, ea in re consimiles; quidam ipsorum cum torpore multo, ac segnitie, ut ipsi loqui nolint, stultorum modo, quos Graeci vocant *μωροις*; nonnulli opinionibus addicti sunt, et se futura praedicere arbitrantur; hi vero mortem desiderant; illi jugulari optant, alii metuunt.“ a) Errorem hunc ex *humorali*, quam vocant, Pathologia promanasse, facile patet. Latinissimum *Celsum* cautio-rem fuisse video, quippe qui in statuendis classibus proxime ad recentiores accesserit. b) *J. B. Porta*, *Wierus*, *Mich. Savonarola*, *Vict. Trincavella*, *Hieronymus Mercurialis*, *Joh. Bapt. Montanus*, *Franc. Valleriola*, *Prosperus Alpinus*, *Joannes Fernelius*, *Riverius*, *Petr. Forestus*, *Felix Platerus*, *Joannes Schenk de Graffenberg*, *Daniel Sennertus*, et alii veterum sequaces, et errorum proinde eorundem plus minusve participes; nihilominus laudabilia systematicarum divisionum conamina, descriptiones graphicas, curationum, casuumque notatu dignissimorum, et non raro mirabilium sylvam collectam, digestamque in eorum monumentis reperias. c) *Vinc. Chiaruggi* Italus, et *Th. Arnold* Anglus, sparsa colligentes, digerentes intricata nec non propriis sapienter observatis, thesauros extruxerunt ditissimos, pretiosissimosque, ut illos

a) De arte med. Lib. I. Cap. XVII.

b) De medicina Lib. II. Cap. XVIII. Edit. Waldecki. pag. 79 — 83.

c) Nec tanti, talesque viri adversus atram saeculi sui superstitionem et praeiudicatas opiniones tuti esse poterant. *Dan. Sennert* scribit: „*Diabolum* vero se immiscere melancholiae patet ex eo, quod aegri ea,

possidens facile immensa librorum antiquorum mole carere possis a). Quid porro tum praeteriti, tum nostri saeculi medici ad augendam, et excolendam morborum animae-obscurae, altaeque indaginis, nec minoris utilitatis et necessitatis — doctrinam contulerint? — laudabilis operum et fastorum classicorum copia loquatur! *Itali* habent laudatum *Vinc. Chiaruggi*; *Galli*, *An. Car. Lorry* b) *Philip. Pinel*,

quae antea ignorabant, proferunt, futura praedictant, arcana patefaciunt, lingvis, quarum ignari antea fuerunt, loquuntur, et alia supra captum et ingenium proferunt.“

Vid. Pract. medic. Lib. I. P. II. Cap. XI. p. 127. item Cap. XV. pag. 141 — 146. Edit. Venet. 1641. — Sic apud *Guainerium rusticus Pinarolensis* luna existente combusta latine loquebatur, secus latii sermonis (si quis alius) maxime ignarus!? Tract. de melanch. et mania XV. Cap. IV. Vid. etiam *Joan. Fernelium* de abdit. rerum causis, Lib. II. Cap. 16. ubi juvenis pro epileptico habitus, tertio mense tum graece, tum latine loquendo daemones praesentiam manifeste prodidit. Sic vir acutissimus, qui adversus *Galenum*, *Aristotelis* et *Arabum* nullis cancellis circumscriptum, per saecula immotum imperium tollere est oculos ausus, primusque obsistere contra, superstitionis sui saeculi opinionibus superior esse non poterat! Plura exempla *Petr. Forestus*, *Jan. Huartus*, *Erasmus*, *Langius*, et alii dabunt. An hic (sublestam enim historiarum fidem quis obvertere ausit?) magnetismum animale subesse putas? —

- a) *Chiaruggi* (*Vinc.*) Abhandlung über den Wahnsinn u. s. w. aus dem Italien. Leipzig 1795. 8. — *Arnold* (*Th.*) Beobachtungen über die Natur, Arten, Ursachen und Verhütungen des Wahnsinns, aus dem Engl. von *J. Chr. G. Ackermann*. Leipzig 1784. 2 Bd. 8.
- b) De melancholia, et morbis melancholicis. Lips. 1765. II. Tom. 8. übersetzt von *M. C. A. W. Frank*. u. Leipzig 1770. II. Bde. 8.

Esquirol a) *Amaril* b) et *M. Georget* c); — Angli, *Will. Cullen* 1) *Arnold, Alex. Crichton* 2) *Harper* 3) *Ferriar, W. Perfect* 4) *W. Pargeter*, 5) *J. Haslam*. 6) *Jos. M. Cox*, 7) *A. Marshal* 8) et alios; — Germani, *M. A. Weikard*, *J. B. Ehrhard*, 9) *Joh. Chr. Hoffbauer*, *Chr. Reil* 10) *Horn* Berolinensem 11) *Al. Haindorf*, *Ludov. Buzorini*, 12) *Heinroth*, *Groos*, *Nasse* 13) et alios.

-
- a) Esquirol's allgemeine und specielle Pathologie und Therapie der Seelenstörungen. Frei bearbeitet von K. C. Hille. Mit 11 lithographirten Tafeln. gr. 8. Lfg. 1827.
- b) *Traité analitique de la Folie, et des moyens de la guérir*. Lyon 1807.
- c) *M. Georget sur la folie etc etc*, übersetzt und mit Beylagen von *Heinroth*. Leipzig 1821. 8.
1. *W. Cullen* in notissimo opere.
 2. *An Inquiry into the Nature and origine of mental Derangement etc*. London, 1798. Übersetzt mit Anm. und Zusätzen von *Hoffbauer*, Leipzig 1810. 8.
 3. *A traetise on the real cause and cura of insanity etc*. London, 1789.
 4. *Select cases in the different species of Insanity, Lunacy or Madness etc*, Rochester 1787. *Tardius auctum* sub titulo: *Annals of Insanity etc*. 1803. Übersetzt von *Ch. F. Michaelis*. Leipzig 1789. Dessen Anhang 1794. Desselben *Annalen* etc. 1804.
 5. *Observations on maniacal disorders*. Lond. 1792.
 6. *Observations on Insanity etc*. London, 1798.
 7. *Practical observations on Insanity etc*. Lond. 1806. (2. Ausg.) Übersetzt mit Anmerk. v. *Reil*. Halle 1811. 8.
 8. *The Morbid anatomy of the Brain etc*. London 1815. — *Opus anatomico-pathologicum magnam observationum memorabilium copiam tenens. Cadavera insanabilium praecipue inquisivit eximius vir, et fere semper vitia cerebri organica, et partium adsiturum cum primis vasorum sanguiferorum se se deprehendisse memoriae prodidit.*

Inde ab humanissimi *Pinelii* temporibus summam vesanorum curam in plerisque regnis, imperiisque haberi, et in hoc divino incepto progressus magnos iugiter fieri testes habemus evidentissimos *Nosodochia stultorum* seu *Gyrgathos*, singulari, nunquam satis laudando zelo ubique fere terrarum conditos, et plerumque omnibus *utilibus* et *necessariis* mira liberalitate, munificentiaque instructos — in levamen et solatium afflictorum — rerum publicarum emolumentum — saeculique decus! Inter omnes *Gyrgathos*

9. *Ehrhard* partim in *M. Wagners* Beiträgen zur Anthropologie etc. Bd. I. Wien 1794. S. 100 — 143. partim in *Hufeland's Journal der prakt. Arzn. Kunde*, Bd. XIV. St. 2. S. 64 — 90.
10. Untersuchungen über die Krankheit: der Seele, und die verwandten Zustände. Halle und Hannover 1802 — 7. 3 Bd. 8.
Reil's Rhapsodien über die Anwendung der psychischen Kurmethode auf Geisteszerrüttungen. 2 = te Ausgabe. gr. 8. Halle, 1809.
11. *Sandimann*: (Discipulus *Hornianus*) Nonnulla de quibusdam remediis ad animi morbos curandos summo cum fructu adhibendis. Berlin 1817.
12. Untersuchungen über die körperlichen Bedingungen der verschiedenen Formen von Geisteskrankheiten. Ulm 1824. Vid. *Heinroth's* Anweisung für angehende Irrenärzte. Leipzig 1825. Cap. VIII. pag. 125. Etiam *W. Traug. Krug's* philosophisches Lexicon etc. etc.
13. Zeitschrift für psychische Aerzte. Leipzig 1818 — 1822. Contin. sub tit. „Zeitschrift für Anthropologie“ etc.

principem locum *Sonnensteinensis* a) et *Waldheimensis* b) tenet.

Equidem tantum symptomatologiam melancholiae in hoc scripto academico delineo, aetiologiam, prognosim, et therapiam lugubris mali aliis relinquens. In ipsa specierum descriptione *Heinrothium* praecipue sequebar, exempla ex diversis auctoribus, ut res intellectu facilior, gratiorque lectu esset, subnectens. Varietates, quas vocant, *melancholiae* per nostrum auctorem leviter attactas, paulo fusius, tum ex antiquis, tum ex recentioribus scriptis proposui, ut nihil, quod scitu dignum, et utile putabam, desideraretur. Utilibus miscebam tristitia! natura mali sic ferente.

Notionem morbi ex *Heinrothio*, *Pinelo*, *Boerhaave* et *Sennerto* dedimus. Labet hic definitionem immortalis Ph. Car. *Hartmanni*, quae nobis praeter omnes maxime placet, adferre.

„Melancholie ist Verstandesverwirrung mit vorherrschendem Gemüthsleiden, hervorgebracht durch eine in der Phantasie tief haftende und das Gefühl heftig angreifende, unangenehme Vorstellung, oder durch eine, sich immer wiederholende Reihe solcher Vorstellungen.“ c)

a) Nachricht von der Heil- und Verpflegungs-Anstalt *Sonnenstein* bei Pirna, Dresden 1817.

b) Günz, über die Einrichtung des Irrenhauses zu *Waldheim*, in Pyl's Magazin für die gerichtl. Arzneikunde u. s. Vide *Heinroth's* Lehrbuch der Störungen des Seelenlebens. Leipzig 1818. II. Bd. S. 321. pag. 59.

c) Der Geist des Menschen, 2-te Aufl. Wien 1832. p. 343.

Heinrothius in prodromis describendis tantum animi indolem et temperiem spectabat, habitu corporis ipsius penitus neglecto. Idem et ego feci, quin magnae corporis in animam potestatis ignarus essem. Hanc tibi cum primis classicae *Gaubii* a) *J. G. Zimmermanni*, *Genesii* b) *Ph. C. Hartmanni*, Mich. ab *Lenhossék.*, aliorumque poterunt ostendere chartae.

a) *De Regimine mentis quod medicorum est, serm. academ. duo. Argentor. Edit. 1776.*

b) *Gesenius W. med. moral. Pathematologie, oder Versuch über die Leidenschaften und ihren Einfluß auf die Geschäfte des körperlichen Lebens, Erfurt 1786. 8.*

Dabam Pesthini

die 1-ma mensis Augusti 1833.



Caput I.

A.) Melancholia simplex.

Heinroth's reine Melancholie.

§. I.

1. *Notio seu specificus character.* Animus libertate sua orbis, dejectus, jacturae, moerori, dolori, desperationi immersus, infixus; paralyticum dicas. Alii inquieti, anxii, praecipites sunt, alii e contrario attoniti, nulli impulsui, quasi sensu omni careant, patentes, si tetrum, quo continuo impetuntur, arietantur, inter gemitus, fletus et lamenta, animi capti scrupulum demas. a) Sic quidem eximius Auctor HEINROTHIUS. Nolio, quam celeberrimus Gallorum Psychiater, Ph. PINEL, proponit haud exacte Melancholiam a reliquis animae morbis discriminat, plures potius ex his miscens; haud praecisam igitur, vagamque dixerim. b) Summus Herm. BOERHAAVE veterum, Aretaei videlicet Cappadocis, Caelii Aureliani, Alex. TRALLESII, Pauli AEGINETAE etc. placitis auscultans, sic finit: *Melancholia vocatur medicis ille morbus, in quo aeger delirat diu et pertinaciter, sine febre, eidem fere, et uni cogitationi semper affixus.* c) Tristitiam fatalem, princeps il-

1

- a) Fr. C. A. HEINROTH: *Lehrbuch der Störungen des Geisteslebens und ihre Behandlung.* 1 Th. (Leipzig 1818) S. 330. §. 221. n. 1.
- b) Ph. PINEL: *Traité medico-philosophique sur l'aliénation mentale.* Paris 1801. übersetzt von Mich. Wagner. Wien 1801. S. 159. VII.
- c) Aphorism. 1089. Vide etiam Ger. VAN SVIETEN commenta. in Aphorism. BOERHAAVII, Tom. V. pag. 195. (Edit. Venet.)

lud morbi insigne, hic omissam video. Dan. SENNERTUS doctissimus quondam Professor Wittenbergensis (nal. 1572) in suo de „*practica medicina*“ classica eruditione conspicuo opere, sic morbum notat. „*Ita commode melancholia definiri potest, quod sit delirium sine febre, et furore, in quo animus a falso phantasmate, a spirituum animalium dispositione occulta seu tenebricosa orto, delusus in una cogitatione cum angore haeret, et desigitur*“. Vix credam animum in omni casu falsi phantasmatis ludibrium esse. Notio ceterum iusta. a)

2.) *Prodroma signa*. Homines temperamentis sic dicti melancholici b), imo etiam sanguinei seu irritabilis, si fons deliciarum illis arescat, nec non phlegmatici, si stimulus languidam percellens, et erigens vitam desit, verbo omnes, quibus haud bene praeparatum obtigit pectus,

a) Practic. Medic. Lib. I. Pars II. Cap. VIII, pag. 340, (Edit. 1654.)

b) Nonnullos iam in communi vita meditatundos, tristes, aspiciosos, solitudinis amantes, verbis suspensos et obscuros videas, ut inde characteris, quod dicimus, eorundem denominatio peti solcat. Tales fuisse Tiberium et Ludovicum XI. Pinel notat. Quo quidem character, si effreni potestati, moribus corruptis, sanguinis alieni sitienti cordi nubatur, quid miserius, quidve horridius sit mihi quidem in mentem venire non potest, Genuino penicillo delineat Svetonius Tiberium. Sic Cap. X. ait „*integra aetate ac valetudine stultit repente secedere, seque a medio, quam longissime amovere*“ Cap. LVII. saeva, ac lenta natura ne in puero quidem latuit, sed aliquanto magis in principe eluxit, etiam inter initia, quum adhuc favorem moderationis simulatione captaret. — Cap. XLII. Caeterum secreti licentiam nactus, et quasi civitatis oculis remotus, cuncta simul vitia male diu dissimulata tandem profudit. — Maiore adhuc et turpiore infamia flagravit; vix ut referri audirive nedum credi fas sit „— Cap. LXI. Mox in omne genus crudelitatis eripit nunquam deficienti materia.“ Cap. LXXVIII. Incedebat cervice rigida et obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus, nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. „Vide etiam Corn. Taciti Anal. Lib. I. Cap. V. XI. Lib. IV. Cap. 57. Lib. VI. Cap. 21. et aliis locis. PINEL Notographie philosophique, übers. von Elter. II. Th. S. 21.

a) naufragium fortunae passi, aut saltem vano ejusdem melu exagitati, tenebris quasi quibusdam subito circumfunduntur, *tristes, taciturni* fiunt, appetitum amittunt, insomnes agunt noctes, macrescunt, *timent, pavent, vanis suspicionibus torquentur*, dulce amicorum, et aguatorum consortium fugiunt, solitudinem quaeritant, ut quo tutius pacatius truculento, quo animus convulsus circumdatur, spectaculo pasci possint. Sic positis rebus mox ipse morbus erumpit.

3. *Decursus morbi, Stadium incrementi, et status.* Apud omnes non idem morbi exordium est, ut alios in *maniam* aut *extasim* rapi, alios *moria* deludi putes. Nam depressa iam et prostrata animae libertate, videre licet alios praecipites, actiosos consurgere et violenter quaedam manu facere; alios vanas quasdam imagines captare, iisdem supra modum occupari, decipi; alios demum gestire, ridere, demente quadam hilaritate abreptos. Ast his omnibus brevi dissipatis, demissione, moestitia, taciturnitate, lamentis, timiditate insignes comparent victimae. Aut sedent, stantve, aut huc illuc cursitant, quo consistant, quove se vertant, ignari, quasi attoniti, taciti, aut nescio quid murmurantes triste ingemiscunt, lacrimas profundunt, plangunt, manus torquent, nihil vident, nihil audiunt, dulci amicorum, consanguineorum voce, interpellatione, ne minimum commoventur. In tantum lugubris ideae tenebris obcoecati. — stipites putares sensu carentes! Facies, oculi, lineamenta, situs, positus, motus, omnia melancholiam loquuntur. — Obtutus tristissimus, vagus, contemplatione moestorum duntaxat cordis sui penetralium contentus, ibidem sine remissione errans; cutis in corpore toto exsucca riget; facies tetra est, pallet, genae collapsae asperum tuber monstrant, rugis profundis tur-

a) Ea, quae *eximia* plerisque, et praecleara videntur, parva ducere, eaque ratione stabili firmaque contemnere fortis animi, magnique ducendum est: et ea, quae videntur *acerba*, quae multa, et varia in hominum vita, fortunaque versantur, ita ferre, ut nihil a *statu naturae* discedas, nihil a dignitate sapientis, robusti animi est, magnaque constantiae. Cicero de Off. Lib. I. Cap. XX. n. 6.

pantur; oculum vix vitalem, omni pingvi vidua orbita sepultum; contracta supercilia obumbrant; caput prorsum dependet, aut in latus declinat; spiritus difficilis, lentus; cordis, et venarum motus marcidus, tardus. Nihil appetant; noctes inquietas, insomnes transigunt. In tali misero statu aegri incerto manent tempore: per septimanam unam; alteramve; imo ultra mensem. Spasmus, quo animus convulsus stupebat, videtur remittere, et aegri meliuscule habere, — et sic morbus in *secundum stadium*, decrementi videlicet, ingreditur. Sensus externi iam nunc e profundo, quo premebantur, somno quasi evigilant: aegri res circumpositas, homines adstantes intuentur, cognoscunt, ad quaestiones abrupte et obscure reponunt, cibum facilius sumunt, pacatique quasi incedunt, somnus tamen iis adhuc nimium difficilis; nam communiter noctes totas inter continuas volutiones, jactationesque incubili agunt. Causam miseræ suae vitae, quam adhuc alto pectore repostam pervicacissime premebant, iam nunc inter lacrymas et vagitus effutiant: a) „immensas suas jacturas esse, aerumnas nefandas, medelam sibi adferri non posse, sanabilibus proin haud aegrotare se malis,“ et quae his similia sunt. Et nunc enunciata melancholiae causa constituit ab hinc unicum punctum, circa quod omnis cogitationum, omnis verborum torrens gyro rotatur haud interrupto. Sic magnus Auctor HEINROTHIUS refert casum feminae, quae continuo mariti, et prolium suarum grande luget; deflet, lamentatur infortunium, se se infelicissimam reputans, cui vel spes melioris evanuerit, exaruerit. Maritum interim cum sobole sua bene habere, praesertim ex quo insanos ploratus, lacrymasque non vident, non audiunt. — Evigilare equidem videmus *sensus*, cieri quasi torpidum huc usque *intellectum*; *animus* nihilominus arctis fixae illius ideae catenis vinctus iacet, stupet, et sic per longam non raro annorum seriem. nisi aut turbulenta in corpore revolutio, aut opportunus casus, aut demum potentia artis salutaris conamina pertinacis hostis excutiant ingum. Nisi haec contingant, tunc lugu-

a) Nonnulli, *Pinelio* teste, arcanum suum per multos annos pervicacissime premunt. Vide Eius philosophisch - medicinsche Abhandlung über die Geistesverwirrungen etc. von Wagner, Pag. 150. IV. Abschn. III. Art.

bris morbus aut in hilarem dementiam, *moriam* abit, aut torpidus, gravi sub onere gemens *animus*, tandem et reliquum *psyches* in lethalis torporis coniecit rigorem, aut ultimo tabes tantarum miseriarum lineam constituit. En! *imago simplicis Melancholiae Heinrothii.*

B.) Melancholia Anoa Heinroth.

(Melancholie mit Widdfinn.)

§. II.

1) *Notio seu specificus character.* Ad supra memorata melancholiae signa socium se addit quidam *universalis*, *constansque torpor*, qui proculdubio in animo lugubri *ideae mordicus inhaerente*, et quasi in atras tenebras impacto fundatur. *Pervicacissima unius fixae ideae contemplatio resolutionem seu paralysim corporis, et animae inducere videtur.*

2) *Prodromorum stadium.* Natura timidi, imbelles homines, quos omnis casus concutit, opprimit, qui liquefcunt, fluunt mollitia, qui nec apud aculeum sine clamore ferre possunt a) quibus nullum in pectore, nullum in rudi, et inculca mente contra adversa, et acerba praesidium, si in angusto res suas videant, si subitum fortunae, ludum insolentem ludere pertinacis, ictum accipiant, aut lenta quadam ruina se se revolvi advertant, terrore quasi percussi in *animi desponsionem, torporemque* incidunt; cui *sensuum et mentis stuporem* adjunctum videas. Inquieti sunt, metuunt, anguntur, lacrymantur.

3) *Decursus morbi, exitusque.* Non statim sub initium melancholia haec propriam gestat notam, verum aliam speciem mentitur, quae inexpertis facile imponat. Quidam violenter se gerunt, manu peccant, aporpinquantes audacter repellunt, flagrantibus, ac micantibus oculis et suffundente totam faciem rubore. *Maniae accessionem instare iurares.* Nonnulli intra verba desipiunt, imaginibus falluntur, rident, canunt, ac si *paranoia* aut *ecstasis* instaret. Imbellia et inania naturae medicraticis, morbum torpore fatali infamem, averruncare nitentis, conamina! Sed mox mutatur rerum facies; fugaci enim-

a) Cic. Tuscul. Quaest. Libr. II. Cap. 22.

vero vivacitate, et irrito nisu brevi evanido, praecipites aguntur miseri in tanto profundioris moeroris, et apathiae abyssum, sic quidem morbus ad *stadium* facessit *secundum*. Notae, quibus speciem hanc a ceteris enclis discernas, luce iam nunc clariores fiunt: *moestitia*, *indolentia*, *torpor*. Nihil illum excitat, movet nihil, quasi animi sensu destitutus sit; non multum lamentatur; querelis non exanimat alios, sed stupet, *obtutu in unicum duntaxat punctum defixo. facie ceteroquin puerili, stupida, exanimi, ente toto misero, imbelli, verum quasi fatuitatis instar praeseferente*. Summus laboris omnis inimicus, morosus, lubentissime sedet immotus, aut cubat, et corpore et mente in longum saepe, proh dolor! tempus stupida. Tandem morbus in *tertium stadium* abire videtur, in quo post quartum, quintum, sextumve mensem signa quaedam *automaticae vitae* se se insinuant: lethali torpori quasi valedicens aeger movet se, incedit, labores mechanicos, leves peragit, sine tamen robore, et constantia, vix enim inchoatum opus iam detrectat, plus destruit, quam facit, mox manus cadere sinit, et considet *puerili et fatuo positu*. Et sic ceteri labuntur dies vitae, cuius radicem teter animi cancer exedit, et fontem vitam foetida contaminat, letiferaque sanie.

C.) Melancholia ἀβουλή (HEINROTH.)

(Melancholie mit Willenlosigkeit.)

§. III.

1) *Notio seu specificus character*. Signis melancholiae, quae supra posuimus, se se adiungit *voluntatis paralysis*. Aeger quidem eatenus *libero mentis usu pollet*, quatenus per animi oppressionem et servitutem licet; neque tamen illi integrum est *cousilium quodpiam capere et exequi*. *Mente igitur certo sensu constante, riget obstupescit animus*.

2) *Decursus morbi*. Prodroma signa nulla. Homines imbelles animo, qui omnigeras illas illecebras (vera fortunae et malitiae humanae ludibria!) in bonis rebus, aut expetendis esse ducunt, qui *miro Horatii atheno* carentes male sibi consciunt, multaque culpa pallescunt; — tales, inquam, si subitus quispiam, gravisque casus incidat mente animoque conturbantur, et stupent. Jacturam externo-

rum bonorum, quae supra omnia ponebant, perpessi, dum in se se descendere coguntur, inanem ibi et desertam solitudinem exhorrescentes, neque se quidquam sui se cum portasse sero edocti, pessum abeunt miseri, quo illos nativa animae, et usu alta, auctaque imbecillitas ducit, rapit! Stupent sic, ceu fulmine tacti, et corpore et mente per multas saepe dies, nisi potens quaequam medicina *fa-
talem animi resolutionem* leniat, tollat. *Stant, sedentve, aut iacent, positum, in quo eos morbus corripuit, retinent, immoti, oculis apertis, rigidis vix vitalibus, ceteris quoque sensibus stupidis.* — Homines tales suae spontis liberique arbitri minime esse, et quovis impulsu facile versari, regique posse ex dictis videas. a) Nisi tempestivo, et potenti auxilio succurritur, pedetentim solum ad se redeant, eorum, quae secum acciderunt reminiscuntur et porro quoque tristi suae miseriae spectaculo inhaerent; totus quippe animus, voluntasque illis paralytica est. Quibus ad agendum impellimur: propensiones, cupidines, consilia, necessitudines et quae similia sunt, minime eos movent, in horrida suorum penetralium solitudine contemplan-
da, rimandaque indefessos. Nihil hic amicorum adhortationes, nihil consanguineorum admonitiones, nihil dulcia moestae forte uxoris, et impuberis sobolis alloquia valent, *mens licet, quantum per stuporem animi integrum, constet.* Tantum fortuna, saevo laeta negotio, suis deliciis solet adferre malorum! — Et sic quidem *secundum stadium* habet. Plurium communiter annorum spatium mor-

- a) Ponam hic memorabilem casum ex *Tulpio*, celebri medico Amstelredamensi: „Juvens britannus, impensius (ut solet illa aetas) amori indulgens, perculsus fuit vehementer ex inopinata matrimonii repulsa, ut obriguerit instar stipitis; sedens in sedili suo *κἀτοχος* sive detentus, sive congelatus, per integrum diem, retinetque continenter eundem situm, et oculos — apertos. — A qua figura, ne latum quidem cum recederet unguem: iurasses certo, te statuam potius quam hominem videre. Adeo quippe fuere omnia non modo rigida, sed plane immobilia. Verum ubi exclamaretur, alta voce; rem ipsius meliori esse loco, et capitam habiturum amicam, modo ad se reverteretur, prosiliit confestim ex sedili, et quasi excitatus ex profundiore somno, rediit actutum ad se, disruptis protinus illis vinculis, quibus ipsum arcte illigaverat, tenacissima haec Catoche. “ *Obs. med. Lib. I. Obs. XXII.*

bns recipit, quin mutetur, donec tandem anima tota quantal, instar oculorum, qui diutinis in tenebris morantur, omni sua acie, vitalique robore privata, penitus labascet, obtundaturque. *Anoiam* (HEINROTH), *fatuitatem* vocant. Quid quod observatores summi testantur, non paucos infelices subita fortunae, aut casus vice percussos, confestim in hunc fatalem *mentis animique stuporem* incidisse, — mortem potius dicam a).

D.) Melancholia catholica (HEINROTHII)

(Allgemeine Melancholie)

§. IV.

Si ad prius descriptam speciem *sensuum et mentis stupor*, (paralysis) accedat, oritur *Melancholia catholica*, quae rara est, et brevi durat. Exit in plenam *fatuitatem*, aut mortem *apoplecticam*.

- a) Ph. Pinel, Gallorum Psychiater, narrat casum duorum beligerantium fratrum, quorum unus dum alterum globo tractum rucere conspiceret, actu statuac instar obriguerit. Tertium fratrem domi commorantem, deplorando Germani, post tres dies domum adducti, ita percussum statu, ut in similem morbum inciderit! Tanta terrori inimica potestas est! Diu Pinel sub oculis (in *Bicêtre*) miseras hasce terroris victimas habuit. Nihil tristius, nihil luctuosius fuit, quam videre Genitorem chara deslentem pignora. Philosophische Medicinische Abhandlung über die Geistesverwirrungen. IV. Absch. Art. XXII. pag. 180. — Juvat adhuc unum memorabilem casum hic adducere. GEORGIUS GROKATZKY, Polonus miles, deseruit Autumno Anni 1677 signa; eum in eundem, paucos post dies, in quadam popina inopinately ruerent; immani terrore consternatus, obstupuit stiptis instar, voce faucibus haerente. Ad iudicium bellicum delatus, et mox in carcerem detrusus, continuo attonitus, conscientia omni orbis permanere, nec minis nec consolatione quidpiam proficientibus; carcere et vinculis liberatus; eadem pertinacissima catoche per viginti dies, noctesque, sine alimento, sine excretionem ulla detineri, donec labascens viribus miseram efflaret animam. Vide BONETUS: Medic. septentrion; Lib. I. Sec. XVI. Cap. 6. MICH. v. LENNÖSSK's, Darstellung des menschlichen Gemüths in seinen Beziehungen zum geistigen und leiblichen Leben. Wien. 1825 II. Bd. pag. 465.

Nunc quasdam melancholiae species exequemur, quas summus vir HEINROTHIUS *varietates* (Abarten, Spielarten) compellat, *obiecto* quippe (quod dicunt) solo a pura melancholia distinctas. Huc:

1) *Nostalgia*, *Philopatridomania* (HARDER), *Pothopatridalgia*, *Nostomania* (ZYNGERI) *Nostrassia* quorundam, *Maladie du pays* (GALL), *Heimweh* (GERM).

Intimus patriae et suorum Amor, effrenis illius et impotentis desiderii, quod prius positis nominibus insignimus, causa est. Morbus hic adgreditur, ut cum summo Nosologiae methodicae scriptore loquar, juvenes mollius in parentum sinu educatos, qui prima vice peregrinantes, vel adversam fortunam, vel morbum, iucurrunt, et amicis orbati patriae suae delicias mente revolvunt, eorumque desiderio, tanto maiori tenentur, quo peius habent, ut si a sanis pro rudibus habiti illis ludibrio sint, si ob linguae, morumque differentiam soli vivere cogantur, hinc alto moerore detenti, omnem societatem fugiunt, nemini suae aegritudinis causam declarant etc a) Populares visi, imagines conspectae, cantilenae, musica audita, amabilem natalis soli, quod nescio, qua nos dulcedine trahit memoriam cient, et faciunt per associationem, quam vocant, idearum ut integra series habitatum in patria deliciarum sollicitae, cupidaeque menti obversetur, imaginandi vi, mira illa productrice omnia, in tanto maiorem afflictorum moerorem, exaggerante, et coelesti lepore, perspergente. Medicus quondam Viennensis, celeberrimus ille *percussionis Hippocraticae* restaurator, AURNURUGGER observavit juvenes vi in campum martium raptos fere omnes in nostalgiam incidisse. Scoti plures, inter quos etiam medici egregii, narrarunt Joh. Georg. ZIMMERMANN, — viro scientia, arte, et facundia insigni, — eorum populares huic morbo nimium obnoxios esse b) *Helvetiae montium*, ubi coelum purum, salubre, incolae, pulchritudinibus naturae c) et sobriae libertati adsveti, *nostalgia* infames.

a) FRANCISCUS BOISSIER a *Sauvages*: Nosolog. Method. Edit. Amstel. Tom II pag 221.

b) Joh. Georg. ZIMMERMANN. Von der Erfahrung in der Arzneykunst (Edit. pr. Zürich) Part II. Sect. IV. Cap. II. pag 484.

c) ZIMMERMANN l. c. 485. Eximius Gallorum poeta et summus politicus CRATEAUBRIAND vivide describit naturae helvetiae

Apud nos *Valachos* maxime hoc malo conflictari rumor est. — Sexum virilem magis huic morbo obnoxium, quam foemineum, Auctores aiunt a). Juvat paucis imaginem morbi dare. Aeger morosus est, tristis, taciturnus; appetitus minuitur, somnus fugit; genae collabuntur, pallor sedet in ore, oculi marcidi, turgore vitali privati, facile illacrymantur, spiritus lente, et difficulter, profundis interturbatur gemitibus, trahitur, ut sic et animae, et corporis vigorem, et robur marcescere, tabescereque videas. b) Morbo animi rapida incrementa capiente, febricula iam incursare incipit, quae *hecticae*, *tabificae* nomine infamis, miserorum molestias nimium quantum cumulat, vires conterit, fontem vitalem exhaurit. Non raro Auctores febrim *acutam* oriri viderunt, quae inter deliria vehementia, aliaque turbati systematis nervorum symptomata, plerisque in casibus in mortem desinere soverit. Laudatus AVENBRUGGER, talium infelicitium cadavera solerter perlustrans, deprehendit *pulmones pleurae firmiter adcretos*, hinc inde nimium *induratos*, nec non *pure plus minus gravidos*. c) — In nosocomio Mospeliensi, ut SAUVAGES testatur, *Nostalgici* saepius ostenderunt unam alteramve *maculam livescentem* in corpore (op. cit. p. 222.) Unicum auxilium est reditus, ut eiusdem auctoris verbis utar, in patriam, licet enim aegri prostrati, debiles, vix e lecto surgere possint, cum certa spes est, se in patriam reversuros esse, mox melius habent, vires resumunt, et in ipso itinere sae-

amoenitates, comparans, felici ausu, *Scythas veteres cum Helvetis*. Vide Eius *Essai historique, politique et moral sur les Révolutions Anciennes et modernes*, Tom. I. pag. 261 et seq. (Edit. Vien. 1817) Summus ille et immortalis Anatomus et Physiologus, nec minor poeta *Albertus ab Haller*, divino penicillo pingit Alpes, insontem incolarum vitam, liberamque ad sidera extollens, urbanam contra umbratilem, et anxiam conviciis cumulans; et ipse vir summus, dum peregrinaretur, soli natalis fervido tentatus desiderio. Vide *Verfuch Schweizerischer Gebichte*, Vien. 1789. pag. 5. et 25.

a) LENHOSSÉK op. cit. II. Bd. S. 357.

b) HARDER diss. de nostalgia. Basil. 1678. LENHOSSÉK op. cit. pag. 356 — 358.

c) ZIMMERMANN op. cit. II. Bd. pag. 486.

pe sanantur; pauperculi vero quos e nosocomiis educere, et apud se recipere non possunt parentes, aut qui parentibus orbi sunt, fere omnes hoc morbo moriuntur, atque auxilia chirurgica et pharmaceutica saltem inutilia sunt. (a)

2.) *Melancholia religiosa*, etiam *superstiosa*, *desperatio aeternae salutis* (WILLIS). b)

Magnus Pathologus SAUVAGES melancholiam religiosam, consistere ait, in alto moerore, et immodico iudiciorum Dei metu, simulque defectu dulcis illius fiducia, quam eius paternae clementiae debeamus (c), Tristitia; moeror, hominum fuga, solitudinis amor, id genus melancholicis communis. Unus omnibus dementiae lugubris fons, et caput, diversae tamen, quae inde emergunt species: alii acerrimos se praebent iudices omnium suarum actionum, iniqua superstiosi phantasmatis bilance, quidquid meditentur, agantve pensantes, ut vel screeare pro nefando peccato reputent; d) alii diu noctuque daemonum species, ignes inferorum, poenasque aeternas exhorrescunt; e) illi continuo suum bonum Genium aut quempiam ex Apostolis flebili gemitibus, et planctibus intersecta voce appellant; f) hi inter metus, angoresque clamitant, se iam pridem, ob scelera, quibus contaminarentur immanem cohortem, gratia omnipotentis Dei excidisse, cum miseris, et aerumnis continuo deproeliari,

a) SAUVAGES op. cit. p. 222. Tom. II.

b) B. FAWCET. Observations on the nature causes and cure of Melancholy etc. Schrewsbury 1780.

c) Nosol. meth. Tom. II. pag. 253.

d) Joh. Georg. ZIMMERMANN über die Einsamkeit 2 Bd. pag. 178. (Auszg. Frankfurt und Leipzig.)

e) Rich. MEAD. Monita et praecepta med. cap. III. pag. 45. —

„Quidam Theologus insignis, ac egregius concionator, vir tota constitutione melancholicus, jejunium sanctissime observans, incidit in melancholiam religiosam. — Carceres metuebat; se damnatum ob peccata commissavociferabatur, nec ullam spem salutis aeternae sibi superesse, atque se infernum esse cum divite dicebat. Hic quoque imaginabatur se stellas cadentes in coelo spectare, ac Cacodaemonones in cubiculo apud se versari referebat, Forestum praesentem cum videret, inquit: offacias sulfur, quod ex ore exhalat; ita igne aeterno consumo.“ Vid. Foresti Observ. et Curat. Medic. Lib. X. Obs. XIII. Edit. Lugdun. pag. 99 sqq.

f) Ph. PINEL op. cit pag. 77.

nec sibi spem melioris ullam superesse. a) Princeps morbus antiquorum Ascetarum, et Anachoretarum *melancholia religiosa* fuisse videtur. Huc etiam Fanaticos Indorum et Aegyptiorum traxeris, quorum tetro, et squalido, exsucco, mumiarum instar, grege omnia ibi deserta inundata videas. b) Ad omne scelus et nefas, patrandum patratos referunt. Mirum quid et quantum organismus talium hominum ferre, et perpeti possit! Exempla ZIMMERMANNUS dabit. Jejunio, et vigiliis se torquent; aestui et frigori exponunt; catenis corpus irretiunt, gravant, vir-

- a) ZIMMERMANN op. cit. II. Bd. S. 181. et sqq. Memoratu digna sunt verba cuiusdam cultae, ingeniosae, et venustae, matronae: „sie sey eine verworfene in den Augen Gottes ein aus der Kette aller Wesen abgerissener Ring, zur Berdammung geboren, in ihren heitersten Stunden die Bewohnerin einer stillen Hölle, in ihren schwarzen Stunden brenne sie im Mittelpunkt ihrer Flammen; dieser Zustand sey ihr Wesen, und alle ihre vorhergegangene Krankheiten seyen eine Wirkung dieses Zustandes &c.“ Monachae huius morbi frequentissimae victimae. Op. cit. II. Bd. pag. 184. Item von der Erfahrung in der Arzneykunst, IV. Lib. 12. Cap. (Tom. II. pag. 521.) — WEIKARD'S Philosophischer Arzt. IV. St. „Entwurf einer philosophischen Arzneykunst“, 3. u. 6. Hauptstück (Einz. Ausg. pag. 151.)

Summus quondam Physiologiae recentioris Pater ultimis vitae suae annis *religiosa melancholia* laborasse fertur. — Magnam *opii*, quam ob morbum quemdam assunserit, molem, praecipuam mali causam fuisse dicunt. J. G. Zimmermann occasionem habuit Praeceptorem olim suum, tristi hoc morbo adhaerentem contemplandi. — Semper Oratoribus sacris stipatus esse volebat, saepe nulla sectae, et mentis eorundem ratione habita. Instar aegri, cuius res in angusto sunt, ad aegyrtas se convertebat. — Proximis ante obitum diebus scripsit ad suum amicum HEYNE: se credere quidem et agnoscere immensam salvatoris bonitatem, nescire tamen, an quid sperare ausit — se integro vitiorum et criminum agmine stipatum et obsessum — minaceque horum exercitum per septuaginta annorum seriem in immensum excrevisse — velle demum scire ex ore eximii Theologi Göttingensis Lessii, quoniamnam librum, tanquam remedium contra metum, et terrorem mortis, legere posset? — Vehementer horrebat mortem vir immortalis, nec horrorem occultabat. Iudicium illi extremum displicebat ob turpitudinem, ut dicere solebat, animae suae! — Non raro hanc melancholiam *opio* et labore dispulisse dicitur. II. Bd. p. 104 — 108.

b) PROSPER ALPINUS: de medicina Aegyptiorum. pag. 58.

gis caedunt, lacerant, instrumentis acie praeditis dilaniant, cruentant; membra forte petulantia, et fervore suo molesta amputant, projiciunt; situ et positu iniquo, pertinaciter retento, in rigorem, resolutionem, gaugraenam, sphacelum partes plerasque conjiciunt. Tantum vana religio potuit suadere malorum! Communiter vitam sibi diversis adimunt modis; — interdum in alios quoque desaeviunt, furore fanatico abrepti. Vide tristem *historiam vinitoris* in celebrato PINELII opere.

C a p u t II.

Melancholia mixta (Heinroth.)

A.) Melancholia ecstasica (H.)

(Melancholie mit Wahnsinn.)

1. *Notio.* *Hilarem dementiam (ecstasim)* hic copulatam cernimus melancholiae, vicesque cum eadem alternantem, ut prior minus effusa sit, minus depressa posterior.

2. *Prodroma, Decursus, Exitusque morbi.* Juvenes teneri, mobilisque animi, vivacis, nec tamen effrenis phantasiae, in scopulos, syrtesque, quibus utique proh dolor! omnia scatent, si forte impingant, sic suis dulcissimis desideriiis excidentibus, mox mente dissipata, dolore et moestitia occupantur, conspectum et consortium hominum vitant, fugiunt, solitudinem captando, ubi tacitis suspiriis, lacrymarumque imbre concussam, anxiumque pectus levare et recreare satagant. His continentur prodroma. Perfectus morbus tum demum est, ubi mens unam, aut plures vanas imagines accipiens, eis penitus addicta sit, animus vero dejectus complicatur, contrahiturque penitus. Nihil constantis, nihil perpetui in talium afflictorum animi, ut iam fugaci, dubioque lumine eam circumfusam, jam atris, moxque transituris tenebris obsessam videas. In habitu igitur eorundem mox gaudium, cui aliquid amari adjectum sit, mox moestitiam, non parum mitigatam, expressam conspexeris — quasi atrae bilis, ut cum veteribus

loquar, fuliginosae nubes, cum mentis aemulo jubare dimicent! Morbus hic versipellis iam longius, iam brevius spatium recipit, donec demum homo evanidis omnibus mentis radiis, in tenebras desolati pectoris praecipuus actus, lugubris insaniae servum pecus fiat. Oculi iis splendidi, scintillantes, obtulus vagus, turbulentus, genae collapsae, inconstantis ruboris, pallorisque pugna insignes, facies singularis moestitiam gaudio decertantem exprimens, corpus macie torridum, prorsus incurvum, crines, aut soluti, horridi, aut ludice digesti, ornati, vestitu squalido, incomposito, interdum leviter distincto, decoratoque. Solitudinis, ut supra posuimus, amantes, lucos, sylvasque hominibus parum frequentatas petunt, huc illicque errant, suspirant, flent, lamentis omnia complent; nonnunquam amatae ideae contemplationi immersi, infixi, in clivo collis aut ad susurrantem rivulum consistunt, etserta ex flaccis, aridisque floribus, fortunae suae symbolo, nectentes, mutam solitudinem lugubri cantu turbant. a) Nihil assumunt, somnum difficilem habent, ad suorum lamenta et dulcia amicorum alloquia surdi.

B.) Melancholia moria. (H.)

(Melancholie mit Nartheit.)

§. VI.

1. *Notio seu specificus character. Melancholiae, et moriae*, sociali vinculo junctarum et *alternis vicibus ludentium* sobolem hic nos describere velle, cuique ex nomine ultro patescit.
2. *Prodroma, Decursus et Exitus.* Homines temperamentum irritabilis, vivacis in quibus *potestas renitendi minus valida*, adverso casu icti aut grande infortunium passi, *conturbantur corpore et anima*, ut in iis confusionem imaginum mentis, inconstantiamque, motum corporis perversum, inconsideratumque agendi modum cernas; haec tenus prodroma. Mox haec irritabilis, turbulentaque vita

a) HOMERUS de Bellerophonte canit:

— Miser in campis moerens errabat Aleis,

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

V. CICI Tuscul. Quaest. Lib. III. Cap. 26 — 27. Edit. Ernest. Vol. IV. Pars I. pag. 382.

locum cedit teterrimae melancholiae, quae per septimanas, imo menses plures durare potest. Diutinae quietis, et squaloris pertaesa quasi anima, excutit triste jugum, ignemque vitalem per venas; medullasque diffundit, torpidam phantasiam arietat, succendit, quae mox vanis, at recti specie insignibus imaginibus miseris imponit, ut alter se Imperatorem, universi Gubernatorem jactet, alter hominem toto orbe pulcherrimum, ditissimum; honoribus omnibus cumulatissimum: — *moriam, morosim* appellant. a) Et hic quidem status septimanis, imo mensibus persistere potest. Mox vero fracta, exhaustaque quasi vi vitali, mens postliminio restituitur. Sic species istae duae invicem alternant, donec alterutra victoriam reportet, stabilemque sedem figat. Utramque sua, in vulgus nota signa declarant. — Ubi perfectus iam morbus est, tum demum rectum iudicium de forma eius ferri potest.

C.) Melancholia furens, (Mania).

(Melancholia Nosologorum.)

(Etille Wuth.)

§. VII.

1. *Notio, seu specificus character.* Tristitia, hominum fuga, angor, moeror, desperatio, taedium vitae, cuius *violenter adimendae occultum studium*, si exitu deprehensum inhibeatur, mox summum furorem erumpere videas.

a) Oeconomus quidam sub turbulenta *revolutionis Gallicae* epocha bonis suis privatus, et in carcerem detrusus, continuo instantis supplicii metu torquebatur, menteque iam lababat, ad *Bicêtre* delatus, mutata protinus rerum facie, *regem se Galliae jactabat!* — Quidam Jurisconsultus, filium suum, quem tenerrime amabat, ad *stipenda publica* merenda cogi videns, vehementissime contristatur et mox delirare incipit, at non multo post, excusso quasi tristic dementiae jugo, audacter splendidum *Regis Corsicae fastigium sibi datum comminiscitur!* — Sic incola ille *Versailensis (in Bicêtre)*, sub *revolutionis procella* ad incitas redactus, diutina Melancholia detinebatur, cum subito vanam imaginem accipiens, *se supremas toto orbe tenere clamitat!* — Vide Ph. PINEL über die Manie, v. Wagner übersetzt, pag. 153 — 154.

2. *Prodroma, Decursus, Exitusque.* Depressio immodicae superbiae et ambitionis, flagrans amissi, nec unquam recuperandi boni desiderium, tormenta Zelotypiae (obtrectationis), grave sordidae avaritiae illatum damnum, praeposterus futurorum metus, (impendentis forte necessitatis, penuriae cuiuscunque ignominiae), — faces animi male conscii; — en momenta, quibus supra descriptum psyches statum non raro acceptum referamus. Ex subita mentis dissipatione, profunda quasi meditatione, inquietudine, anxietate, horrore hominum, solitudinis amore, scire licet accessionem instare. Formido, angorque pedetentim increscunt, tenebrae menti offusae spissescunt, organa sensuum, animae ministra, suorum munerum quasi oblita torpescunt; — ita fere ad omnes impulsus externos surdos, immotosque videas! utpote in tram sui, quam adflicto pectore gerunt, orci scenam intentos et defixos. Nihil hic rigida stoicorum praecepta, nihil comes verae religionis adhortationes proficiunt, frustra sunt lacrymae, lamentaque impuberum prolium, frustra flebile dilectae conjugis alloquium, — omnis amicorum consolatio, omnia consilia, curaeque in irritum cadunt! — Tantopere saepe plumbeo melancholiae iugo humi adfligitur divinae particula aurae! Quin imo omnis benevolentia est certae aversationis, odiique causa. Aeger aut. summam taciturnitatem observat — *aliam adesse* putares — aut haec solum anxio de gutture mittit: „*Heu! me miserum, actum de me est*“ vigiles suae salutis aversatur, specie quadam compositi, pacatique animi iis imponere indefesse laborans, quo sic remotis arbitris in propria viscera effrenis saevire possit. Et in captanda quidem hac nefandi facinoris occasione, summam speciem sanitatis praebet. Obicem si ponas, vehementissime renititur, aufugere tentat, scommatibus, conviciis omnem cumulat, vociferatur, rugit, furit diu noctuque horridissimo exemplo! Longos hosce diri furoris fluctus extrema lassitudo insequitur: tum dein aeger aut ad se redit, aut rursus, novis quasi facibus admotis, in rabiem excandescit. *Primum stadium* longissime per septimanas, mensesque excurrit; *secundum et tertium*, iuxta AVENBRUGGERI observationem, *novem dierum* spatium recipit. Exitus varios idem Auctor notat: aut nempe aeger intra illos procellae fluctus sibi manus infert, aut vero, fausto omine, placatur, restituiturque; nonnunquam in insontem, tristem-

que *paranoiam*, aut in *dementiam*, *fatuitatemque*, quae curationem non recipiat, labitur. — Malum alioquin recidivum facile fit; quod quidem exemplis *AUENBRUGGERI*, viri eximii, probatum habemus. Optimam descriptionem huius morbi Ille et celebratissimus de animae morbis Itatorum scriptor dedit. Et *HEINROTHIUS* prioris penicillo usus.

D.) Melancholia mixta catholica.

(HEINROTH.)

(Melancholie mit Verrücktheit, Wahnsinn und Tollheit)

§. VIII.

1) *Notio*. Morbum hunc esse congeriem, nomen ipsum significat. Hic igitur miserum aegrum iam imagines quasdam vanas accipere, iisque falli, vigilem proin somnare, jam male de rebus cogitare, erronea iudicia ferre, adversas ideas in unum violenter cogere, iam furore percitum in motus effrenes rapi, demum silentio, moestitia, squallore obsideri videas. *Ecstaseos, paranoiae, maniae inconstans, dubiaque pugna sub lugubribus Melancholiae auspiciis!* Per rara intervalla mens redit.

2) *Prodroma, Decursus, Exitus*. Homines robore praecellentes, post ludicram, abjectam, et sceleratam vitam taedio aliquo correpti, aspera et obliqua quaedam de rebus iudicia sibi fingunt, et in feroces, indomitosque gestus, actionesque ruunt, quibus si subita, non opina, praepotentiaque frena iniiciantur, mox integram animam conturbari et in diversas partes trahi cernas. Jam *intentio* quaedam *elatioque*, iam *depressio contractioque* adest. *Primas Melancholia habet*, ex cuius atra nube cetera adflcti, convulsique animi signa majore, minoreve vi prorumpunt. Post longum squalorem demum mire effertur anima, ut aeger vivacibus, fervidisque phantasmatis, acutis item, alte insidentibus exorbitantibus iudiciis continuo occupetur, agitetur, versetur, appetitu nullo, somno difficili, — donec tandem, anima fluctus suos altius atque altius extumescentes in aestuationem effrenibus, vix domandis corporis motibus insignem erumpere sinat. Ubi deserbuit furor, melancholia rursus caput extollit. Quid mirum, post, tot, tantasque procellas demum imbecillitatem summam inci-

dere, quam aut perfecta sanatio, aut constans mentis perturbatio insequatur. Interdum anno exacto morbus recidivus fit. Quod si contingat, communiter violenta mors lineam tantarum aerumnarum facit.

Supersunt adhuc quaedam memorabiles, *morborum animi mixtorum*, lato melancholiae ambitu contentae species, quas paucis exsequemur.

1) *Melancholia Metamorphosis*. Hac *Lykanthropia*, *Kynanthropia*, *Hippanthropia*, *Boanthropia* etc. Ipsa nomina, quid morbi sit, declarant. Ubique fere melancholiae, *paranoiae*, *ecstaseos*, *maniae* inconstanti, nec definito modo, graduque intricatarum, variaque ratione modificatarum, *congeries* et *mixtio* reperitur. Cognito morbi proin haud ardua. — *Lykanthropiae* seu *insaniae lupinae* exemplum ex Petro FORESTO, viro classica eruditione, mira simplicitate, candidaque ingenuitate insigni, — dabo, ipsissimis Auctoris verbis utens: “ Rusticus quidam subinde verno tempore Alcinariae visus est, *aspectu torvo*, ac insanus et circa coemeterium haerere, mox et Ecclesiam intrare, qui et supra scamna (ut ipsi spectavimus) furore percitus saltabat, modo ascendendo, modo descendendo, et nunquam in eodem loco quietus. Baculum vero oblongum manu tenebat; neminem percutiebat, sed canes eo a se depellebat, nam ex canum morsu *crura nigra et ulcerosa cum crustis nigris habebat. Totum corpus squallidum, subnigrum et melancholicum spectabatur, facie tamen pallida; cui et oculi valde concavi erant.*” a) Nocte inprimis concubia domo egressi per avia et devia oberrant, in praetereuntes raro irruunt, circa monumenta et sepulchra demortuorum lubenter vagantur, eorum reliquias terra effossas interdum baiulantes — ut *Donati Ille crus integrum et tibiam* b) — die communiter se occultant, ceterum animalia, in quae miseri se conversos putant, in cunctis imitantur. Addunt alii: facie pallida, oculis siccis, non lacrymantibus, cavis, lingua scabra. aridissima, siti magna, ulceribus crura occupantibus, sordidis. Communia haec fere *Zoanthropiis* sunt, ut adeo tibi

a) Observ. et Curat. med. Lib. X. obs. XXV. et Scholion ad eandem Observ.

b) De Medend. morb. Lip. I. Cap. IX.

c) WIERUS: de praestigiis daemonum Lib. III. Cap. XVIII.

3. *Melancholia misanthropica seu antipathica* a)
 Homo, miserrimo isto truculentissimoque morbo detentus, ardentissima occulta alias, alias aperta humani sanguinis siti flagrat, ut nacta forte occasione, instar belluae furore percitae, hiante ore in amicos et proximos quosque ruat, nec propriae sobolis vitae parcens. Nihil dulcius, nihil optabilius tali adflicto humanae fragilitatis specimini, quam eorum, quos dum sanae mentis esset, in oculis forte gerebat, visceribusque suis plus diligebat, sanguinolenta carnificina pasci! Heu! quam multarum, quamque magnarum aberrationum divinum illud in nobis, quod tam magno opere, vana arrogantia inflati, iactamus, capax est. Ubi iam ad ultima in hoc malo ventum est, eo vehementiae sanguinolentam istam libidinem pertigisse cernas, ut aeger ne videre quidem homines possit, quin gravissime stomachetur, ne dicam furat. Non raro summam speciem sanitatis in captanda tetri facinoris occasione praebet, ut victus forte dum levare vinculis cupit, prudenter et miserabiliter loquatur, imperitis facile imponens: at credendum non est; quoniam is dolus, ut Celsus ait, insanientis est b). — Praetermittere non possum, qui hic mentionem injiciam eius morbi, quem celebratissimus Gallorum Psychiater PINEL maniam sine delirio vocat. Nullibi certe illam nostri particulam, quam ex mente divina cum summo Romanorum Consule decerptam existimamus, magis juribus suis orbatam, dignitateque fraudatam videas, ac ubi homo coeco quodam effrenatoque impetu, invita, quod mirere, et repugnante ratione, impulsus, arietatus, in aliorum viscera immitti manu saevit — mactat, jugulat — miserr-

L. 10. obs. XXV. Schol. — *Melampus*, antiquissimus medicorum inter Graecos indigenas, *Proeti* Argivorum Regis filias delirio persvasas se in *vaccas* transmutatas, sanavit usu *Hellebori* (albi), experimentum a cervis edoctus! V. Boerhave Praelect in prop. Instit. med. §. 7. Vol. I. pag. 1. (Edit. Venet.) Le Clerc. Hist. de la Médec. P. 1. Lib. I. Cap. IX.

a) Nostro aevo epidemicum in Gallia hunc morbum fuisse medicus quidam testatur. Ex perverso imitandi nisu horridam hanc pestem repetit. V. der Bothe von und für Ungern Nro. 11. An. 1835.

b) De Medicina Lib. III. Cap. XVIII. — PINEL op. cit. IV. Absch. Art. XI. item II. Absch. Art. XIII.

mo, horridissimoque spectaculo! — Conscit sibi, ut paulo ante posuimus, infelix homo, culpaque, quam propriam putat, pallescit, intestina illa pugna, quae inter rationem sanam et crudelem illam cupidinem perpetuo fervet, conteritur tabescitque. Stante in procinctu bruti instinctus accessione *proximos quosque amice admonent, rogantque ut fugu se salvare festinent!* — Vitam sibi communiter violenta manu adimunt a) — — En magnus Philosophorum, et multis quidem rationibus, scopolus! —

4. *Melancholia taedium vitae s. anglica.* Famosum et indole sua mirum vitae fastidium, eo discrepare videtur a *furente*, quam vocitant, *mania*, quod *Angli* plena conscientia et incredibili frigiditate, pertinaciaque iutum semel, tacita mente, consilium exsequantur, non raro, quod mireris, corpore ad speciem sanissimi, honoribus, divitiisque affluentes. b) *Stant in eo quod sit iudicatum.* Coecus hic, quo se homines in orci fauces praecipitant, impetus, maximam partem abjecta diversarum cupiditatum, *libidinumque*, quae, ut opinor, non se se foris jactent, sed intus in animis inclusae inter se dissideant atque discordent, progenies est. c) *Taedium hoc Anglorum sum-*

a) PINEL op. cit. IV. Art. X. pag. 162 (WAGNER's Uebersehg.)

b) Oeuvres de Mr. de Voltaire (Nouvelle Edition etc. à Dresde, 1748) Tome II. Chap. II. pag. 7. „Philippe MORDANT étoit un jeune homme de vingt-sept ans, beau, bien fait, riche, né d'un sang illustre, pouvant prétendre à tout et ce qui vaut encore mieux, passionnément aimé de sa maîtresse. Il prit à ce MORDANT un dégoût de la vie: il paya ses dettes; écrivit à ses amis pour leur dire adieu, et même fit des Vers dont voici les derniers traits en François:

L'opium peut aider le sage;

Mais, selon mon opinion,

Il lui faut au lieu d'Opium

Un pistolet et du courage.

Il se conduisit selon ses principes et se dépêcha d'un coup de pistolet, sans en avoir donné d'autre raison; sinon que son ame étoit lassée de son corps, et que quand on est mécontent de la maison, il faut en sortir. En exemplar *insaniae Anglicae!*

c) Mich. v. LENROSSÉK Darstellung des menschlichen Gemüthes II. Bd. 503. Ad Autochiriam disponere videntur melancholicum, irritabile, et cholericum temperamentum, servida juvenilis aetas, longi insanabiles morbi, organica cordis et hepatis vitia etc. NASSE'S Zeitschrift für psychische Heilung I. B. S. 55.

mus Galliae dei „spiritu legum“ scriptor a *physica* corporis *constitutione* repetit. HAINDORFUS d) in *crasso*, atque *concreto coelo* causam quaerit. Haec quidem symbolam suam conferre „quis nostrum inficietur?— Nihilominus VOLTAIRE et PINEL, hunc morbum in Gallia neque novum, neque rarum esse adfirmant, proin non solis *Anglis proprium*. a) Hoc „taedio melancholico capti homines, langvidi, moesti, omnium remediorum pertaesi, res suas componunt, testamenta scribunt, amicis per epistolas dein transmittendas valedicunt, et deinde laqueo, veneno, vel alio modo vitae suae finem imponunt.“ Verba Sauvagesii. b)

a) HAINDORF'S Versuch einer Pathologie und Therapie der Geistes- und Gemüths-Krankheiten. Heidelberg 1814. S. HAASE über die Erkenntnis und Kur der chronischen Krankheiten etc. III. Bd. (Wiener Aufl.)

b) VOLTAIRE op. cit. Tom II. pag 8. PINEL La médecine éclairée par les sciences physiques par FOURCROY 1792. Item Traité sur l'alienation mentale. IV. Sect. Art. VI.

c) Nosol. meth. Tom II. pag 258. „HYPERBOREI — ubi eos vivendi satietas magis, quam taedium cepit, hilares redimiti sertis, semet ipsi in pelagus ex certa rupe praecipites dant. Id eis funus exitium esse.“

Pomponius Mela De situ orbis Lib III. Cap. V. Edit. Täuchnitz. stereot. Lyps. 1832 pag 59.

„Ubi senectus, aut morbus incessit, procul a ceteris abeunt, mortemque in solitudine nihil auxilii exspectans. Prudentiores, et quibus ars studiumque sapientiae contingit, non exspectant eam, sed ingredo semet ignibus, laeti et cum gloria arcessunt.“

Id. ib. Lib. III. Cap. pag. 65.

T h e s e s.

1.

In tractandis aegris rerum domesticarum ratio habenda.

Multa morbi nomina, dubiam morbi naturam arguunt.

Libri medici populares perniciosi sunt.

4.

Repurgatio primarum viarum a sordibus, in morbis gastricis curandis maximi est momenti.

5.

Melancholia non raro ex physicis causis oritur.

6.

Multi saepe morbi ab anima aegrotante proveniunt.

7.

Morbi placentae, atque foetus in utero reclusi e certis signis dignosci nequeunt.

8.

Plura Individua uno, eodemque morbo laborantia uno, eodemque remedio semper sanari nequeunt.

9.

Educatio perversa puellarum in Urbibus causa frequens anomaliae menstruorum.

10.

Ex oculo legenda animi, corporisque sanitas.

11.

Origo generis humani a communibus parentibus explicari potest.

